



ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO D. Dño.

NICOLA O

IN PRAZMOW

PRAZMOWSKI,

Dei & Apostolicæ sedis gratiâ

EPISCOPO LVCEORIENSI & BRESTENSI.

REGNI POLONIAE

MAGNO CANCELLARIO. &c. &c.

Abbatia Sieciechouensis Administratori perpetuo

S. Michælis in Arce Cracoviensi Præposito

Domino & Patrono Clementissimo.



Oliceti Naucleri, cum ad exoptatum pansi velis, tendunt portum, Illustrissime Cancellarie, & Reverendissime Antistes, ad splendidissam Cynosuram, dubio innatantes fabo, conuertunt vultus, dirigunt cursus, & ne in periculosis impingant symplegades, ductum eius audiissime intuentur. Hoc enim amicum, & salutare omnibus nauigantibus sydus, quoties in Arctoo polo copiosus diffundit radios, roties gratissima malacia, & tranquillitatibus regnant Alcedonia. Vastissimum ego, non ita pridem, philosophiarum, difficultatum, emensus sum pelagus, in quo varia opinionum intellectui meo occurabant monstra, diversarum controveneriarum horrida syries, in diuersas fluctuantem trahebant partes, & ad quem collandum erat scopum, suspensum meum reddebat animum. Dum igitur periculose plenum opus aleæ tracto, & diversarum abripior cogitationum fluctibus, ex insperato occurunt mihi clarissima Illustrissime Familia Tua signa; tres Solea, securâ munata & ornata cruce, tanquam lucidissima sydera in Lechiaco cœlo suauiter micantia. Horum ego beneficio recreatus aspectu, & quasi erectus, depositis curu, exoptatam tandem votorum & desideriorum meorum terigi metam, dum Te Illustrissime & Reverendissime Antistes. Mechanatem & Patronum, mea Philosophica velitationis inueni. Solidæ & non bracteata totum defero felicitati, mihi talem, dum in Stagyriteam descendō deceraturus orchestram obtigisse Agonotheten, cui natura omnium mater, insignes connasci voluit dotes, ut comitas in vultu eluceat, candor in verbis, ac in amabilis consuetudine affabilitas, tanquam Charis habitet. Multæ præterea me, ad deferendum debita obseruantia tributum, & ad labores Philosophicos dicandos impuleré cause, eaq; nec Paruae, & graues. Iam splendor magni nominis, & peruersta Illustrissimi generis tui claritas, quam luculenter gentilitia insignia, tres solea, cruce obarmata exprimunt. Solea inquam illæ, non fabulosam Hippocrenem, fictitium il-

Iudicium ingeniorum profluvium, sed suauissimam dicendi libertatem, ori tuo cultissimo
ingenitam ostentant. Solea illa tres, grauitatem in consiliis dandis, constantiam in
agendo, & in supplandis perturbationibus, inuictum immobilemque designant ani-
mum. Crux autem gentilicia tanquam quoddam Ancyle cœlitus delapsum, certissi-
mum desert felicitatis monumentum, IN HOC SIGNO VINCES. Iam eminentissimi di-
gnitas officij pellexit me, quam ita grauiter promoves, ut Serenissimus ac Potentissi-
mus IOANNES CASIMIRVS, REX Poloniarum & Sueciæ, tuam longo usu
comparatam in rebus experientiam, prudentiam, dexteritatemque, magna vocis ora-
culo sepius commendarit, & ad sigillum Regni promovit: ut non minus sacrosan-
ctas Regni leges tuereris; quam Reipub. nunquam desisturam obsignares perenni-
tem. Iam magnarum possessio virtutum inuitauit, scilicet; integritas vita, quasi
Cygnæ? Sanctimonia Solida, candor verè columbinus, inflammatum in Deum fu-
dium, plurimæ Pontificiæ maiestate non indigna specimina. Iam doctrina præstan-
tia, cuius testis est, vel ipsa Polonia, dum negotia Reipub. grauissima, singularis Tu-
i prudentiæ pertractas, & ad fortunatum deducis terminum. Testes & ipsi à diversis
Regibus ac Principibus submissi Legati, quibus pro gloria S. R. Maiestatis, & nomi-
nus Poloni prudentissime respondisti, & in faderibus cum Sueco contrahendis animo-
sè egisti. Iam pronus in literas Virosque literatos animus duxit, cum eodem Heroicæ
adornas liberalitate, amplissimis cumulis honoribus, & ingenia ingenua, insigni com-
pletebris benevolentia, yisque aditum & aurem prebes facilem. Iam insuper firmam
animo meo indidit spem Illustrissime Antistes, tuum in viridi astate Studium, quod
in Alma Academia Cracoviæ, pietatis aucta, & omnium scientiarum ornatissimo
Prytanæo impensè collocabas: in ea nihil defuerat, ad culturam felicissimi ingenii Tui,
quoties generosam mentem siue humanioribus, siue altioribus consecrâras discipli-
p'ius. Excubabas semper ad splendidissimam Sapientie arcem, ut aliquando in pu-
bliam Reipublicæ lucem prodires. Haec ferè sunt, qua me ad dedicandum hoc litté-
rarum munus, in stagyristica elaboratum officina, impulsere causa. Multò tamen
plures occurruunt, ad celebrandum nomen Tuum insignes occasiones, sed consummatis
Panegyrisis, Heroicorum facinorum tuorum expressas Icons, séra posteritati admiri-
randas relinquo. Quod superest, me Tuum Illustrissime Antistes clientem obsequen-
tissimum gratia & Patrocino, ut decet quidem tantum Patronum, erige, cuius tute-
me, meaq; omnia Studia, obsequia, propensiones, labores, ipsumq; presentem Ter-
nionem difficultatum Philosophicarum Libris de Ortu & Interitu, Animasticis, & Me-
taphysicis ornatum, perquam submissè subjicio & dedico.

Illustrissimæ & Reverendissimæ,

Celsitudinis Tuae,

Humillimus & Obsequentissimus,

Cliens IOANNES CEBVLSKE

TERNIO



V. Generatio Substantia-

lis, per quam fit tum forma cum sua
vnione, tum natura totalis, & supposi-
tum; cuius subiectum est materia prima
nude sumpta: opposita corruptioni, re-
quirens præuias alterationes: nutritio-
nen & augmentationem secum trahens:
agentibus creatis, mutuo in se reagenti-
bus, tam simplicibus quam mistioni ob-
noxijis, debitum temperamentum requi-
rentibus: ac ijs, quæ animam vegetati-
vam cum suis potentijis; sensituum cum
sensibus Internis & externis; atq; Ratio-
nalem cum intellectu Agente & possibi-
li, mediantibus speciebus impressis, suas
intellectiones elicente, habent: liberâ
voluntate gaudentibus, etiam Metaphy-
sicæ considerationi subiectis, quæ specu-
latur ens vt ens, tam species, quam dif-
ferètias transcendens: essentiam, existen-
tiā, & subsistentiam realem habens, atq;
passiones veras, de sedemonstrabiles: De-
VM, & Angelos esse naturali ratione osten-
dens, competat necne?

A

TER-

TERNIONIS MONAS PRIMA

DE Ortu & Interitu, CONCLUSIO I.

Generationem Substantialem, quæ primariò ordine executionis terminatur ad ultimam dispositionem; Secundariò verò in eodem ordine, ad formam substantialem, & defacto dari, & possibilem esse contra Antiquos Philosophos sustinemus.

COROLLARIA.

- I. Hæc, rectè definitur ab Aristotele, quod sit mutatio totius in totum, nullo sensibili manente ut Subiecto codē.
- II. Non est tamen essentialiter mutatio, cum sine hac dari possit, ut sit dum comburuntur Species Sacralementes; licet ordinariè & connaturaliter loquendo, mutationem inuoluat.
- III. Neq; est actio distincta à tota alteratione præcedenti, & terminata immediatè ad substantiam.
- IV. Sed essentialiter considerata, consistit solum in pura quadam naturali resultantia, formæ Substantialis, ex Materia prima, cui vnitur; in ratione vetò actionis, est actio ultimò dispositiva.
- V. Vnde licet ista tria, generatio, alteratio, corruptio, sint una actio; habent tamen diuersas realiter mutationes.

CONCLUSIO II.

Cum per generationem Substantialem fiat, tūm forma cum sua vniōne; tūm natura totalis, tūm suppositum ex natura totali & subsistentiā constitutum: tūm deniq;

deniq; compositum ex supposito & existentia; ideo illi tanquam veræ actioni responder duplex terminus, Qui & Quo.

COROLLARIA

- I. Terminus Qui, generationis Substantialis, simpliciter primarius in intentione, est totum Substantiale existens, hoc est compositum, ex supposito & existentiā.
- II. Terminus autem generationis Qui, primarius in execuzione, est suppositum, constans ex Natura totali & Subsistentiā.
- III. Natura totalis seu compositum Physicum ex Materia & forma precisè, solum est terminus formalis totalis, Quo Generationis, primarius in intentione.
- IV. Forma substantialis, solum est terminus formalis Quo partialis, Generationis.
- V. At verò proprietates siue accidentia, aut essentialiter, aut saltē connaturaliter genito debita, sunt terminus secundarius Generationis.

CONCLUSIO III.

Subiectum Generationis Substantialis, tām passiuè, quām, actiuè sumptæ, aliud est mutationis, ut Materia prima: aliud productionis, ut forma Substantialis, quæ educitur de potentia Materiæ: aliud denominationis, ut ipsum compositum.

COROLLARIA.

- I. Subiectum generationis passiuè sumptæ, non est Materia prima informata formâ corporeitatis.
- II. Neq; ipsum totum compositum de nouo genitum, cum hoc non possit esse commune vtriq; termino mutationis.
- III. Neq; forma Substantialis educta de potentia Materiæ per generationem, & in ipsa Materia immediatè recepta.
- IV. Sed immediatum Subiectum generationis Substantialis, est Sola Materia denudata ab omni accidente.
- V. Nihilominus, accidentia recepta in toto composito, & dimanantia à forma, in genere Causæ efficientis disponunt Materiam ad generationem.

CONCLV SIO IV.

Sicut generationem; ita & corruptionem ipsi oppositam, natura intendit; cui diuersus terminus *Qui*, & *Quo*, correspondet.

C O R O L L A R I A.

- I. **Corruptio Substantialis**, est transitus Materiæ ab esse formæ Substantialis, ad non esse eiusdem in Materia.
- II. Vnde terminus *Qui* seu *Quod* corruptionis Substantialis, est non esse compositi præexistentis.
- III. At verò terminus formalis *Quo* totalis, eiusdem, est non esse naturæ totalis illius, partialis verò est non esse forma in Materia.
- IV. **Corruptio Substantialis** est simul Naturalis, & non naturalis, iuxta diuersam considerationem, nulloq; modo per se intenditur à Natura particulari, sed tantum ab universalis.
- V. Hinc corruptio vnius, est causaliter & concomitante generatio alterius: Quocirca in corruptione Substantiali fit resolutio usq; ad Materiam primam.

CONCLV SIO V.

Alteratio adæquatè diuisa, in alterationem specialiter dictam, intensionem, & remissionem, datur per se ad Solas qualitates tertiaræ speciei.

C O R O L L A R I A.

- I. Alteratio est transmutatio, per quam manens Subiectum Sensibile idem, transmutatur in passionibus.
- II. Motus alterationis propriè dictus, est continuus, tam ex parte Subiecti, quam ex parte termini.
- III. Intensio qualitatis, fit per additionem modi, maioris radicationis in Subiecto.
- IV. Datur intensio qualitatum per antiperistasm, quæ causatur à contrario circum obstante.
- V. At verò intensio per reflexionem & refractionem, fit ab ipso principali agente, à lumine medijs terminato, ipsiq; vniito.

CON-

CONCLV SIO VI.

Nutritio tam actiua, quam passiua, ad conseruationem viuentis per generationem producti requisita, datur in rerum natura, quæ sicut & augmentatio, est motus continuus succelliue fieri natus.

C O R O L L A R I A.

- I. Nutritio est reparatio viuentis, per conuersionem alimenti, in Substantiam aliti, reperiturq; in solis viuentibus.
- II. Nutritio actiua consistit in illa alteratione, per quam, alimentum virtute potentiae nutritiæ, & animæ, disponitur ad hoc ultimò, ut conuertatur in substantiam aliti.
- III. At verò passiua nutritio, est transitus, alimenti, in Substantiam viuam aliti, ex nutritione tamen, solum quatuor principales humores producuntur.
- IV. Terminus *Qui* nutritionis, est ipsum suppositum nutritum; Terminus autem formalis *Quo*, est ipsa substantia viua partialis, per calorem naturalem, & potentiam nutritiæ producta, & unita cum toto; non tamen ut est pars formalis, sed secundum illud substantiale, quod ex se dicit, ratione cuius totum est capax nouæ partis quantitatis.
- V. Ut autem nutritio sit facilior, debet in cibo pensari eius natura, qualitas, quantitas, & necessitas sumentis.

CONCLV SIO VII.

Augmentatio, quæ est motus ad maiorem quantitatem, propriè sumpta solis viuentibus competit.

C O R O L L A R I A.

- I. Viens augetur secundum omnes suas partes aliquotas; non tamen proportionales, aut porosas, nisi impropriæ.
- II. Augmentatio strictè sumpta, non durat toto vita tempore, sed tantum ad determinatum tempus.
- III. Et quidem in homine, durat ad Vigesimum quintum annum; tempus verò statu's seu conseruationis, ab anno 25. usq; ad 50. insuper tempus diminutionis à 50. usq; ad 80.

B

IV.

- IV. Viens non solum totō tempore augmenti; sed etiam toto tempore vitæ manet idem numero.
- V. Quantæ autem staturæ futurus sit homo, facile, ex eius quinquennio cognoscitur, quod teste Aristotele, diuidum futuræ magnitudinis continet.

CONCLUSIO VIII.

Agens creatum, mutuò à passo reagenti, repati natum, non potest actione alteratiuā agere in passum, sibi & in qualitate, & in gradu, & in conditionibus agendi omnino simile.

COROLLARIA.

- I. Et ideo requiritur, vt passum saltim in gradu sit dissimile agenti, & imperfectius illo.
- II. Non est tamen necesse, vt agens & passum distinguantur supposito; sed sufficit in eodem supposito, distinctio virtualis partium.
- III. Quando agens naturale, non æqualiter applicatur, omnibus partibus passi, tunc agit vniiformiter difformiter in suam Sphærām.
- IV. Inter agentia contraria, communicantia secum in Materia, datur reactio & repassio.
- V. Pars tamen repassa, non mouetur simul duobus motibus contrarijs, sed vnicō duntaxat.

CONCLUSIO IX.

Mistio, quæ est miscibilium alteratorum vnio, non tantum ex 4. Elementis, sed etiam ex quibuscumq; alijs miscilibibus, naturaliter possibilis, est, & defacto datur.

COROLLARIA.

- I. Causa mistionis sunt Sol, cœli, & astra, aliæq; causæ superiores,
- II. Elementa non manent actu & formaliter in misto, sed solum virtualiter.
- III. Etiam inter liquores habentes contrarias qualitates, potest dari vera mistio; secùs inter liquores non habentes contrarias qualitates.

IV.

- IV. Elementum est illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia, aut actu; ipsum autem est indivisibile, in diversa specie.
- V. Quaternarius elementorum numerus, rectè assignatur, suntq; composita ex Materia & forma, & omnino inter se specie distincta.

CONCLUSIO X.

Inter Elementa per primas qualitates mutuò in se agentia, datur adiuicem transmutatio.

COROLLARIA.

- I. Quodlibet Elementum, potest ex quolibet immediate generari; facilior tamen est transitus inter Elementa symbola.
- II. Licet ex duobus Elementis symbolis ad inicem corruptis, non possit generari tertium Specie distinctum, potest tamen ex dissymbolis.
- III. Ceterum, vt vnum elementum in aliud secundum se totum conuertatur, bono vniuersi repugnat.
- IV. Primæ qualitates sunt tantum quatuor, eæq; positivæ & actiæ; licet non omnes æqualiter: binæ vnicuiq; Elemento, conueniunt in summo gratu.
- V. Qualitates symbolæ, non solum elementorum, sed etiam mystorum sunt eiusdem speciei.

CONCLUSIO XI.

Temperamentum, quod in mediocritate primarum qualitatum consistit, rectè diuiditur in temperamentum, ad iustitiam, quod aliud est cholericum: aliud sanguineum, aliud phlegmaticum, aliud melancholicum: & temperamentum ad pondus.

COROLLARIA.

- Temperamentum ad iustitiam, possibile est naturaliter, & creditur fuisse in Christo Domino, & BEATA MARIA VIRGINE, usq; ad agonem.
- Temperamentum vero ad pondus, tam in homine, quam in quocunq; alio corpore mixto: naturæ viribus dari non potest.

B2

III.

- III. Corporis humani temperamentum, & constitutio optima est, cæterisq; longè præstantior.
- IV. Ad excellentiam ingenij atq; sapientiam, melancholicum temperamentum est optimum: nisi forsan nimis abundet atra bili, admodum sicca, frigida, densa, & fuscata.
- V. Temperamentum verò sanguineum, non tam est promptum ad ingenij soleritatem, cholericum verò promptum, sed caret maturitate ad iudicandum, & firmitate atque constantiam ad retinendum. teste Galeno.

TERNIONIS MONAS SECUNDA De Anima. CONCLVSIO XII.

Anima in Communi, rectè diuiditur, in vegetatiuam, Sensituam, & Rationalem, tanquam genus in suis species.

COROLLARIA.

- I. Eius definitio essentialis est, quod sit actus primus corporis Physici, organici, potentia vitam habentis.
- II. Descriptiuè verò est id, quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus.
- III. Licet autem tres solum animæ sint; gradus tamen viventium sunt quatuor; vegetatum, sensituum, Locomotivum, & intellectivum.
- IV. Vnde omnis anima secundum quemcunq; gradum sibi identificatum, est actus verè informans.
- V. Inquolibet autem viuente, unica solum est anima, ita ut euam diuinitus plures sint in compossibilis.

CONCLVSI O XIII.

Potentiae animæ, in Communi sunt quinque; Vegetativa, Sensitiva, Appetitiva, Locomotiva, & Intellectiva, quæ tam ad actus, quam ad Obiecta dicunt ordinem.

COROL

COROLLARIA.

- I. Potentiae omnes, realiter distinguuntur ab anima, & à seipsis.
- II. Ordine naturæ, potentiae Sensituæ sunt priores vegetatiuis, & intellectiuæ sensituiis; quæ prioritas attenditur penes perfectionem, & magis immaterialiorem modum attingendi Obiecta.
- III. Ordine verò generationis; quatenus ab imperfectis ad perfecta proceditur, potentiae vegetatiuae sunt priores sensituiis, & sensitua intellectuiis.
- IV. Istæ potentiae, desumunt suam unitatem & distinctionem specificam ab actibus & obiectis adæquatibus, formaliter sumptis, sed solum extrinsecè.
- V. At verò intrinsecum esse cuiusvis potentiae specificum, desumitur ex ordine essentiali, quem aliqua potentia dicit ad certam seriem Obiectorum, ad quam solam & non aliam ferri nata est.

CONCLVSI O XIV.

Anima vegetativa, tam operationes proprias, quam potentias, easq; alias principales, alias ministrantes sibi vendicat.

COROLLARIA

- I. Anima vegetativa in ordine entitatio, est actus primus corporis, Physici organici, potentia vitam habentis; in ordine autem operatio, est principium radicale vegetandi vitaliter.
- II. Proprietates eius operationes sunt, nutritio, augmentatio, & generatio; & ideo ei soli, & omni conueniunt.
- III. Potentiae principales istæ, nutritiva, augmentativa, & generativa, merito illi attribuuntur. Potentiae verò ministrantes sunt istæ quatuor: Attractiva, Retentiva, Concoctiva, & Expulsive.
- IV. Materia remota potentiarum animæ vegetativa, est alimentum, quod debet esse Substantia mixta, neq; omnino similis, neq; omnino dissimilis viuenti; at verò materia proxima est sanguis.
- V. Potentia nutritiva, distinguitur realiter tum à calore naturali, tum à temperamento primarum qualitatum.

C

CON-

CONCLV SIO XV.

Sensus est merè passiuus per ordinem ad sua Obiecta, à quibus recipit species intentionales; cuius sensibile aliud est proprium, aliud commune.

C O R O L L A R I A.

- I. Sensus non fallitur per se circa proprium sensibile etiam secundùm particulares rationes consideratum, nisi per accidens: At verò circa sensibile commune, fallitur tam per se, quam per accidens.
- II. Vehemens sensibile ut agens naturale, per se directè lèdit organum sensus, & ipsum sensum.
- III. Non solum ratione Specierum intentionalium, sed etiam ratione sensationis, quæ fit medijs prædictis speciebus, lèditur sensus primariò, secundariò organum.
- IV. Sensibile immediate possum super sensum, impedit sensationem; quod si sit commune, non imprimet in sensu speciem distinctam, à specie proprij sensibilis.
- V. Obiectum existens modo diuisibili & connaturali, non potest naturaliter percipi à sensu indiuisibiliter existente; obiectum tamen indiuisibiliter existens, percipi sensu, de potentia absoluta, non implicat.

CONCLV SIO XVI.

Sensus externi quinq; tantum sunt: Auditus, Visus, Olfactus, Gustus, Tactus; quorum vnicuiq; proprium Obiectum, non nisi per species intentionales, perceptibile; medium, & organum, à natura, concessum est.

C O R O L L A R I A.

- I. Obiectum adæquatum Visus, est visibile, coalescens ex luce & colore. subiectum verò est pupilla, & nerui optici, potissimum in illa parte vbi coniunguntur. Vnde visio fit per intus sumptionem, propter quod oculus non est planus, sed conexus, vt species per medium colligat.
- II. Obiectum adæquatum Auditus, est sonus; medium Aer, & aqua; sensorium seu organum immediatum aer innatus, vbi coniungitur neruis auditorijs.
- III. Obiectum Olfactus est odor, qui est qualitas secunda, orta ex temperamento primarum, in qua siccum comprehendit humidum; organum eius sunt mamillæ carunculares in illis animalibus, quæ respirant.

- IV. Obiectum Gustus est sapor, qui fit à sicco terrestri in humido: sensus iste non habet medium extrinsecum, sed tantum intrinsecum: cuius sensorium adæquatum est lingua; immediatum verò sunt nerui moliores, per spongiosam, linguæ partem sparsi. & ad palatum usque protensi.
- V. Tactus, qui solum potest sentire qualitates excellentes, idque non percipias, sed per species intentionales, pro obiecto adæquato habet tangibile; pro organo autem, neruos diffusos per totum corpus.

CONCLV SIO XVII.

Præter sensus externos, dari alios sensus interiores. vt Sensu communem, Imaginationem, Æstimatiuam, & Memoratiuam, docet experientia in varijs animalibus, quæ obiecta absentia etiam in somnijs percipiunt, qui in cerebro sua organa habent.

C O R O L L A R I A.

- I. Sensus interni, non tantum à sensibus exterioribus, sed & inter se, realiter distinguuntur.
- II. Proprium munus sensus interni est, dijudicare obiecta sensuum extenorū, quodnam sit alicui proprium, & percipere sensationes eorumdem.
- III. Iudicium istud, quod sensus internus facit, inter obiecta sensuum extenorū, non fit per aliquam compositionem vnius ad alterum, sed per simplicem cognitionem ipsius diuersitatis, quatenus v. g. album & dulce, vt diversa cognoscit.
- IV. Præter sensum communem, quo nullum animal etiam imperfectissimum caret; datur in omnibus animalibus, aliquis sensus internus, licet non in omnibus æque perfectus.
- V. Somnia pertinent ad sensum internum, potissimum ad imaginationem.

CONCLV SIO XVIII.

Anima rationalis, quæ est forma corporis humani, est substantia spiritualis, & incorruptibilis, quæ à solo Deo immediate per creationem fit.

C O R O L L A R I A.

- I. Anima rationalis est actus Substantialis, verè informans; naturā suā indiuisibilis.
- II. Non producitur à virtute seminali, neq; ab aliquo Agente naturali, etiam Angelo.
- III. Neq; præcedit corpus, hoc est; non creatur ante ultimam dispositionem materiae, ad eius unionem requisitam.
- IV. Sed creatur simulcum corpore, puta in eo instanti, in quo vnitur corpori.
- V. Anima rationalis, etiam in vera sententia Aristoteli, est verè immortalis, cuius immortalitas naturali ratione demonstrabilis est.

C O N C L V S I O X I X.

Intellectus humanus, diuiditur in Agentem & Possibilem, tanquam in duas facultates animæ rationalis, inter se realiter distinctas, productivas & receptivas specierum intelligibilium; & comprehendentes tām memoriam intellectuam, quam intellectum practicum & speculativum, rationem superiorem & inferiorem.

C O R O L L A R I A.

- I. Intellectus Agens, est potentia spiritualis animæ nostræ inherens, productiva specierum intelligibilium; non tamen intelligit.
- II. Præcipuum munus intellectus agentis est, illuminare phantasmatæ: quæ illuminatio, non sit per productionem luminis in phantasmatibus, sed per eleuationem & assumptionem eorundem, ad producendas in intellectu possibili species intelligibiles.
- III. Ad productionem specierum intelligibilium, intellectus Agens ut causa principalis efficiens; phantasma verò illuminatum, ut instrumentum, immediate concurrunt; cæterum ad species intelligibiles expressas, solum mediate.
- IV. Intellectus Possibilis, pro obiecto adæquato extensionis, habet verum in tota sualitudine; pro obiecto verò inten-

tensionis, pro hoc statu, solam quidditatem materiale, ut abstractam à conditionibus materialibus indiuinduantibus.

- V. Memoria intellectuua, similiter intellectus practicus & Speculatiuus, Ratio superior, & inferior, sunt eadem realiter potentia, solis officijs diuersa.

C O N C L V S I O X X.

Dantur Species impressæ tām sensibiles, quibus sensus externi & interni vtuntur, ad eliciendas suas sensationes; quam intelligibiles, quibus intellectus eget, ad eliciendas suas intellectiones.

C O R O L L A R I A.

- I. Species intelligibilis recipitur in anima, & concurrit actuè ad intellectionem.
- II. Species interna sensibilis, per nervos sensorios diffusa, recipitur in organo sensus interni. At verò Species externa sensibilis, diffusa ab Obiecto per medium, in solo organo cuiq; sensu proprio.
- III. Species intelligibiles, quæ immediatè sunt per abstractionem & Virtutem intellectus Agentis, non repræsentant formaliter & directè singularia materialia, sed solum naturam & quidditatem materiale, abstractam à conditionibus materialibus; indirectè tamen & Virtualiter repræsentant.
- IV. Nihilominus, Species intelligibiles, relictæ ex præcedenti intellectione, per quas arguituè & indirectè cognoscuntur Singularia Materialia, possunt formaliter & directè esse repræsentatiæ illarum.
- V. Vnde potentia cognoscitiva, fit per identitatem ipsa species formaliter sumpta, in esse intelligibili: imo & ipsa res cognita, sub modo essendi cognoscibili & repræsentatiuo.

C O N C L V S I O X X I.

Intellectio non est qualitas, sed est vera actio intellectus possibilis, naturaliter pendens ab operatione phantasmatæ, comprehendens dictionem seu productionem verbi.

COROLLARIA.

- I. Verbum mentis habet rationem Obiebi *Quo*, & *Quod*, distinguiturq; realiter ab intellectione utres à re.
- II. Intellectio cum dictione seu productione Verbi, est eadem operatio adæquatè sumpta, sola formalitate ab eadem distincta.
- III. Per quamlibet intellectiōē creatam, exceptā solā Visione beatificā, producitur verbum.
- IV. Intellectus pro hoc statu, per species abstractas à phantasmatibus, non terminatur directè ad singularia materialia, sed solum indirectè, & per quandam reflexionem, idq; solum confusè.
- V. Intellectus noster pro hoc statu nihil intelligit, nisi per conuersiōē ad phantasmata: & ideò etiam damnati post resurrectionem, omnino taliter intelligent; secus de beatis censendum.

CONCLVSIO XXII.

Præter appetitum Sensituum, datur in nobis appetitus intellectiuus, qui notitiam intellectus sequitur, & dicitur voluntas.

COROLLARIA.

- I. Appetitus sensitivus, est principium elicitiū actus vitalis, tendentis in formam cognitam sensu: intellectius verò, est potentia passiva vitalis, nata moueri ab apprehenso.
- II. Appetitus intellectiuus, qui est idem cum voluntate, realiter distinguitur ab appetitu sensitivo.
- III. Voluntas nostra est omnino libera in suis actibus, cuius libertatis radix, est indifferentia iudicij.
- IV. Voluntas nostra pro hoc statu, necessariò necessitate quoad specificationem, tendit in bonum in communi; circa beatitudinem tamen in particulari, est libera, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium: licet in patria quoad virtutēs necessitetur.
- V. Intellectus est simpliciter perfectior voluntate; voluntas verò secundū quid, est perfectior intellectu.

T E R-

TERNIONIS MONASTERIA

De Rebus Metaphysicis

CONCLVSIO XXIII.

Metaphysica, cuius considerationi omnia entia subiectiuntur, est scientia speculativa entis realis, vt sic; secundū, quidditates seu rationes à Materia abstractas, Deo & creaturis, Substantiæ & accidenti communes.

COROLLARIA.

- I. Metaphysica est vna Scientia specie infimâ; simul tamen est vera, simpliciter, & propriè dicta Sapientia.
- II. Obiectum eius adæquatum, est Ens propriè dictum, reduplicatiū sumptum.
- III. Deus, & Substantia immobilis, solum sunt Obiecta partialia; Ens verò reale commune entibus, per accidens, licet pertineat ad Obiectum Metaphysicæ considerationis seu communis, non est vera Species Obiecti eius, per se considerabilis.
- IV. Metaphysica considerat quidditates rerum omnium, non solum in Vniuersali, sed etiam in particulari.
- V. Non tamen quoad prædicata propria & Specifica, sed secundū scibilitatem sibi propriam.

CONCLVSIO XXIV.

Ens aliquando sumitur participialiter, aliquando abstractissime & nominaliter; interdùm completere, interdùm incomplete.

COROLLARIA.

- I. Ens participialiter seu adiectiuè sumptum, est aliquid habens actualem existentiam, vel realitatem actualem, vel realem actum essendi.
- II. Ens abstractissimum nominaliter seu Substantiè acceptum, est ratio essendi prædicabilis de omni eo, quod non est nihil.
- III. Ens completum seu concretè sumptum, est id, quod habet essentiam realem: seu est id, cui non repugnat existere: seu est id, quod primò in se formaliter non est nihil.

- IV. Ens cōpletum non potest p̄ædicari formaliter de entitate, sicut neq; de essentia, aut existentia, aut quāvis differentia formaliter accepta.
- V. Vnde quando Scotus negat, vltimas differentias esse entia, loquitur de Ente completo, quod ipse ponit vniuersūm; non autem de ente abstractissimo.

CONCL V S I O XXV.

Ens abstractissimum contrahibile ad sua inferiora, tām species, quām differentias transcendit, in illisq; in trinsecē ac formaliter includitur.

C O R O L L A R I A

- I. Ens non contrahitur ad sua inferiora per modum compositionis Metaphysicæ: ita, vt ex Ente & differentia, v. g. per seitate, fiat compositum Metaphysicum, resoluble in duos conceptus, adæquate & vtrinq; à se distinctos.
- II. Ens contrahitur ad sua inferiora, per modum expressioris conceptionis, ita vt vñus idemq; formaliter conceptus obiectius, sit differentia simul & simul Ens, solumq; distinguatur ex modo cognoscendi.
- III. Ens abstractissimum, tam de suis Speciebus, quām de differentijs, tanquam formaliter sibi identificatis, quidditatiuē ac essentialiter p̄ædicatur.
- IV. Ens abstractissimum passiones formaliter sumptas, seu sunt passiones, non transcendent formaliter, neq; de illis quidditatiuē p̄ædicatur in primo modo dicendi per se.
- V. Ens tamen completum, non transcendent formaliter differentias.

CONCL V S I O XXVI.

Existentia actualis in omnibus rebus creatis; distinguatur realiter ab eiusdem essentia, tanquam res à re.

C O R O L L A R I A

- I. Essentia respectiuē sumpta, in ordine ad effectus, optimè sic describitur: est radicale principium actionum ac proprietatum; in ordine verò ad nostram cognitionem accepta, est id, quod primò conceptibile est in aliqua re: tandem absolute spectata, est id, in quo, & per quod vna quæq; res habet primum actum essendi.

II. Essentia

- II. Essentiæ creatæ, ante existentiam, nullum habent actuale esse in seipsis ab æterno, extra intellectum diuinum: neque ullum intrinsecum esse intelligibile, productum ab intellectu diuino: possunt tamen dici, habere ab æterno in mente Dei, esse intelligibile actu.
- III. Existentia in Communi sic describitur, est vltima & substantialis actualitas entis; in particulari verò existentia creata, est terminus Substantialis, quo res tanquam vltimā actualitatē positā extra causas, primariò compleetur, & terminatur. Tandem existentia diuina, est ratio prima, per quam formaliter Deus est actu, ex vi essentiæ suæ.
- IV. Existentia creata, & diuina, differunt solum inter se formalitatibus: quia existentia diuina connotat essentiam, ex qua necessariò fluit; existentia verò creata, connotat causam, à qua contingenter producitur.
- V. Existentia Substantiæ creatæ, non est accidens p̄ædicamentale, potest tamen dici accidens p̄ædicabile.

CONCL V S I O XXVII.

Quælibet res creata, tām Substantia, quām Accidens, tām composita, quām simplex, in quantum est Ens actu, habet suam propriam existentiam, à causa principali, aut etiam instrumentalī productam.

C O R O L L A R I A

- I. Accidentia habent propriam existentiam accidentalem, distinctam realiter ab existentia Substantiæ; quæ tamen non est actualis inhærentia accidentis.
- II. In composito Physico, non sunt plures existentiæ partiales, sed vñica totalis, quā totum compositum primariò, reliquæ verò omnes partes, tām essentiales, quām integrales, etiam realiter inter se distinctæ, secundariò existunt.
- III. Etiam in homine est vñica existentia, quæ primariò conuenit animæ rationali, vt propria, secundariò Materialiæ, & toti composito.
- IV. Propria, principalis, & proxima causa efficiens existentiæ, omnium creaturarum, est solus Deus.
- V. Existentia creata rerum, quæ non creantur, immediatè à Solo Deo producitur principaliter; à causis verò secundis, solum instrumentaliter.

E

CON.

CONCLV SIO XXVIII.

Ens quatenus Ens habet veras passiones, de se à prima Philosophia demonstrabiles, & aliquo modo à se distinctas, videlicet, vnum, verum, bonum.

C O R O L L A R I A.

- I. Istæ enumeratæ passiones entis, sunt veræ & reales, & superaddunt aliquid reale enti; licet sola ratione ab illo distinctum.
- II. Inter passiones entis; nullus datur ordo, aut prioritas temporis, neq; naturæ; loquendo tamen de prioritate rationis, seu ex modo concipiendi, hic ordo inter illas seruari debet ut primò loco ponatur vnum, secundò verum, tertio bonum.
- III. Passiones entis non distinguuntur ab Ente realiter, neq; modaliter, sed sola ratione ratiocinata.
- IV. Passiones entis nihil aliud sunt, quam secundarij conceptus Entis; necessariò connexi & conuertibiles cum primò.
- V. Passiones Entis non causantur ab ente realiter, & Physicè, sed ad summum virtualiter, quemadmodum & essentia diuina, dicitur causa virtualis suorum attributorum.

CONCLV SIO XXIX.

Vnum est primaria passio Entis, quæ solam negationem diuisionis adit supra Ens.

C O R O L L A R I A.

- I. Vnitas formaliter non est aliquid posituum, substans negationi multitudinis.
- II. Negatio diuisionis, seu indiuisio, quam vnum addit supra Ens, dicitur esse vera negatio, non autem posituum quid.
- III. Vnum non dicit negationem distinctionis, neq; diuisibilitatis in se, neq; dicit quamcunq; negationem pluralitatis, sed negationem pluralitatis, seu multitudinis directe sibi oppositæ.
- IV. Vnum præter dictam negationem diuisionis in se, vel à se, non connotat diuisionem ab alio, si sermo sit de diuisione actuali.

V. Vnum

- V. Vnum præter negationem diuisionis à se, vel in plura se, non dicit negationem identitatis cum alio, vel identitatem secum.

CONCLV SIO XXX.

Principium indiuiduationis, aliud est Materiæ prima, aliud formæ Substantialis, aliud compositi, aliud accidentium, aliud Substantiarum, seperatarum completarum.

C O R O L L A R I A.

- I. Materia prima non est seipsâ indiuidua, sed indiuiduatur à quantitate, seu per ordinem ad quantitatem.
- II. Forma Substantialis, non est seipsâ indiuidua, sed quælibet, (nequidem humanâ exceptâ) indiuiduatur radiciter à materia, formaliter verò per ordinem intrinsecum & essentialē, ad Materiam indiuiduam, illam duntaxat, quam vel primò informauit, vel apta producta est informare.
- III. Materia prima Signata quantitate, seu præhabens per modum radicis, hanc potius quantitatem, quam illam, est primum principium indiuiduationis compositi Physici.
- IV. Omnia accidentia (exceptâ quantitate) tam completa, quam intentionalia, indiuiduantur à suo Subiecto extrinsecè, intrinsecè verò ab ordine, quē dicūt ad Subiectū: Quantitas autem, ut dicit determinatum situm suarum partium, indiuiduatur à seipso; secundum alias verò rationes, etiam ut dicit extensionem partium Substantiæ, indiuiduatur à Subiecto.
Substantiæ Spirituales completæ, ut sunt Angeli, indiuiduantur à seipsis, seu per suas differentias specificas, per quas gradus Substantiæ Spiritualis genericus, immediate contrahitur ad hoc, & ad aliud indiuiduum Angelicum. Vnde differentia indiuidualis in Substantijs Spiritualibus, non dicit aliquid reale, supra naturam specificam, re aut ratione distinctum, à differentia specifica.
- V.

CONCLV SIO XXXI.

Veritas alia est transcendentalis seu in essendo, alia in repræsentando, seu formalis.

E 2 I. Ve-

C O R O L L A R I A.

- I. Veritas transcendentalis, est ipsum Ens conforme, aut potius conformabile intellectui; rem ut est, intelligentia estque vera & adæquata passio entis.
- II. Veritas transcendentalis, non est pura negatio falsi; neque sola relatio rationis; neque denominatio extrinseca: est autem primario & principaliter conformabilis intellectui diuino, secundario intellectui creato.
- III. Veritas transcendentalis, non est quid conflatum, expositiu entitate, & respectu rationis.
- IV. Veritas formalis est conformitas, & adæquatio conceptus formalis, ad conceptum Obiectuum, seu intellectus ad rem.
- V. Veritas formalis non consistit in pura relatione rationis, neque in ipsa entitate iudicij, cum connotatione talis Obiecti, hoc est, aliter se non habentis.

C O N C L V S I O XXXI I.

Bonitas transcendentalis, rectè explicatur per conuentiam radicalem, seu esse conueniens voluntati; siue appetitui: seu consistit in perfectione rei, radicaliter appetibili.

C O R O L L A R I A.

- I. Ratio boni non consistit in relatione rationis, neque est relatio realis, solumque includit ordinem transcendentalem ad appetitum, qui ordo non distinguitur ab ipsa re, quæ refertur.
- II. Hæc ratio conuenientiæ, potissimum attenditur ad primam & increatam Dei voluntatem: quia hæc est regula & mensura bonitatis creatæ.
- III. Ad rationem conuenientiæ radicalis, consequitur appetitio passiva, seu appetibilitas actualis, ut proprietas eius, in qua fundatur relatio rationis, quam dicit bonum ad appetitum; & appetitio actiua, seu actus appetitus, in qua fundatur relatio realis illius ad bonum.
- IV. Bonum alteri, seu conueniens, qua tale est, non est propriè attributum entis: neque bonum in se, siue perfectum absolute sumptum, & sine ordine ad appetitum, nisi ad summum fundamentaliter, ut potè fundamentum & radix appeti-

appetibilitatis: cum ex eo res appetibilis sit, quod perfectionem in se habeat.

- V. Bonum in se, seu perfectum, sumptum cum ordine ad voluntatem, est vera & adæquata passio entis, recteque explicatur per esse conueniens appetitui, tum suo, tum diuino.

C O N C L V S I O XXXIII.

Subsistens est actus, seu forma Metaphysica, quæ subsistens constituitur in esse subsistenti; uniuersaliter tamen loquendo, non est idem cum personalitate & suppositalitate.

C O R O L L A R I A.

- I. Subsistens, est entitas positiva naturæ superaddita, quæ in omnibus rebus creatis, tam materialibus, quam immaterialibus, distinguitur realiter ab essentia.
- II. Subsistentiæ rerum immaterialium, & omnium, quæ immediate à Deo creata sunt, causa efficiens immediata, est ipsem Deus.
- III. Subsistentiæ verò rerum materialium, quæ producuntur à causis secundis, est ipsummet generans.
- IV. Effectus formalis primarius subsistentiæ, est reddere naturam stantem, ac terminatam in se sola; proinde existentem per se: ex hoc verò, vltior & secundarius effectus sequitur, quod natura reddatur incommunicabili alteri supposito.
Licet una natura creata, non possit subsistere pluribus subsistentijs, videlicet propriâ, & alienâ; potest tamen subsistere per plures alienas increatas. Similiter una subsistens increata, potest simul terminare plures naturas, videlicet increatam, & creatam.

C O N C L V S I O XXXIV.

Tam Angelos, quam Deum esse, cumque vnum & infinitum, potest naturali ratione ostendi ac demonstrari.

F

C O R O L -

COROLLARIA.

- I. Angeli sunt à Dōo producti per creationem, idque in tempore, quo mundus conditus est, & in cōcelo Empyreo.
- II. Angeli sunt immortales & incorruptibles ab intrinseco corruptibiles tamen per potentiam Dei extrinsecam.
- III. Angeli in corporibus assumptis, non exēcent operatiōes vitales, vt sunt aētiones videndi, audiendi, &c.
- IV. Angeli possunt moueri localiter, de uno loco in aliū, etiam impertransito medio; non tamen in instanti.
- V. Deus est actus purissimus, simplicissimus, immensus, & ubique præsens, atque in summo gradu veritatis & intelligibilitatis verus.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustri, & Admodum Reuerendi Domini,

D. ANDREÆ KVCHARSKI

S. Theologiæ Doctoris, & Professoris,

Ecclesiæ Cathedr. Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ

Ecclesiæ OMNIVM SANCTORVM PRÆPOSITI, Contubernij,

Hierosolymitani PROVISORIS, & Studij Almae

Vniuersitatis CRACOVIENSIS

GENERALIS RECTORIS,

VIGILANTISSIMI.